EILHARDI LUBINI

IN

Q. HORATII FLACCI CARMINUM VEL ODARUM

LIBRUM IIII

PARAPHRASIS SCHOLIASTICA NOVA:

In quâ retentis Poëtæ verbis, ijsq; pedestri sermoni insertis auctor hic gravissimus plenè explicatur.

ROSTOCHII
Ex Typographiâ Christophori Reusneri,
ANNO
M. D. XCVIII.

SPECTATÆ MODESTIÆ, ET ERVDITIONIS ADOLESCENTI DN:

HENNINGIO A SPREKELSEN

Patritio Hamburgensi

Amico & adfini meo carissimo.

CVm duo studiorum nostrorum metæ sint, HENNINGI SVAVISSIME ad quas in hoc studiorum curriculo atq; stadio cursum dirigere debemus, Sapientia & Eloquentia prudenter illi mihi facere videntur, qui ex tam variâ tot auctorum multitudine illos potissimum sibi eligunt quibus linguam puro sermone, & pectus virtute & doctrinâ expolire possint. Inter hosce hunc auctorem Horatium suo jure ac merito primum & præcipuum deputo, in quo non injuriâ ambigas, præclaras de virtute & vitijs è medijs Philosophiæ penetralibus petitas disputationes, an incredibilem styli & sermonis majestatẽ, carminumq;

elegantiam potius demirêris. Ad quem equidem HENNINGI, quem in virtutis & ſapientiæ ſtudijs accuratiùs inſtitui & inſtituendum video, te pluribus exhortarer, niſi te & eruditiſsimi tui præceptoris M. Iohannis Huſwedelij præclaro conſilio, & ſponte etjam tuâ & ultrò illum maximi facere, & accuratè legere & audire hoc anno, dum illum publicè vobis explico, ipſe expertus eſſem. Iure igitur tuo hunc quartum odarum librum tibi deſtinavi, in quo multa egregia & præclara, quæ in hoc etjam tuo recenti luctu de optimo tuo parente, alloquium tibi præſtare poterunt. Quem ut forti animo perferas, & ita terrenum hunc parentum fato tibi præreptum doleas, ut interim nunquam eripiendum tibi ſtatuas cæleſtem illum mundi patrem, cui quidquid placuit homini quoq; placeat, ex animo tibi exopto. Bene Vale, & his laboribus noſtris fave, & fruere. Roſtochij, Pridiè Calend. Maj. Anni 1598.

T. Studioſiſsimus

Eilhardus Lubinus.

IN Q.

IN Q. HORATII FLACCI ODARUM VEL CARMINUM LIBRUM IIII PARAPHRASES.

ODA I.

AD VENEREM.

Se jam ſeniorem à rebus ludicris eſſe alienum; Et tamen Ligurini inſano amore torreri.

O *Hominum & Deorum voluptas* Venus, *tune illa* bella *tua cum puellis & amicis, & illa amantium prælia à me decantanda & Lyrico carmine celebranda, tam* diu *à me* intermiſſa *& neglecta jam* rurſus moves, *& poſt tam longinquum intervallum temporis illa excitas rurſus & exſuſcitas? O Venus, ego* precor, *ſerio & vehementer, & iterum atq; iterum* precor parce *mihi, & noli me cogere, ad illa jam tanto tempore deſita iterum repetenda. Etenim ego jam ætate ſenior & provectior illis juvenilibus parum aptus & idoneus ſum.* Non *enim* ſum *amplius talis*, qualis *tunc* eram, *cum* ſub regno *& imperio amicæ meæ* Cynaræ bonæ, *benignæ & liberalis* eram, *cumq; illa me amatorem ſuum regeret & gubernaret.* O mater ſæva *immitis & crudelis* cupidinum dulcium *& jucundorum*, deſine *me ætate ſenem & emeritum ad illa juvenilia amatoria rurſus invitare: deſine me* jam durum, *moroſum*, *& gravem* circa decem *ætatis* luſtra *conſtitutum, jamq; quinquaginta annos natum dulcibus &* mollibus *illis Veneris & Cupidinis* imperijs flectere *& permovere: quippe qui propter ætatem domari amplius, & molleſcere nequeam. Quin tu potius te, &*

tua munera ad alios confers, & qui, ut ipsis propitia sis in jocis & rebus amatorijs te ultrò invocant, illis te adjungis: abi *tu* quo blandæ juvenum preces *te à sene ad sese* revocant. *Nam tu, ô Venus, quæ velut* ales *volucris & velox es,* oloribus *tuis* purpureis, *puris, pulchris & nitidis quibus veheris stipata,* si jecur *aliquod rebus tuis Venereis aptum,* idoneum, *& accommodatum* torrere *& comburere* quæris *& desideras: tunc* in domo Pauli *Fabij* Maximi *longè* tempestiviùs *oportuniùs & decentiùs* commissaberis, *lascivies, jocaberis, & delicatè ac voluptuariè vives.* Namque *Paulus ille juvenis est, pulcher,* decens, *& formosus:* & *virtute opibusq; majorum satis* nobilis *& generosus; disertus etjam & eloquens est, causarumq; patronus diligens & industrius,* & pro reis, *in rebus capitalibus anxijs &* sollicitis, non tacitus *aut mutus, sed facundus & eloquens: certè quos suo patrocinio sæpißimè juvit & defensavit. Quin etjam* puer, *ille juvenis* vel centum *laudabilium* artium *dominus & possessor est. Nempe qui talis ac tantus existens validè ac libenter amabit, &* militiæ tua signa *& vexilla* latè *amplè & speciosè ubicunq; volueris* feret. *Idem ubi tuo auspicio in amore felix & fortunatus erit,* & quandocunque *validior &* potentior *erit apud amicam, & gratiosior quàm rivalis, aut* æmuli *sui* munera vel larga *& amplißima, sua victoriâ gavisus fuerit, rivalemq; suum* deriserit: *tunc ô Venus tibi aliquam statuam ex solido* marmore *in monte Albano* propè Albanas lacus, *ubi opima habet prædia,* ponet *& constituet, idq; in templo quodam sumptuosißimè summis divitijs exstructo,* sub trabe *aliquâ citreæ arboris nobili, fragranti pro amænitate Veneris, & odoratâ.* Illic *in templo* plurima thura *quotidie tibi incendentur, plurima sacrificia tibi instituentur, ubiq;* naribus *tuis plurimos odores* duces *& trahes, & bibendo quasi exhauries: ubi etjam* delectaberis *varijs* carminibus *& instrumentis Musicis* commistis *& consonantibus,* & lyræ tybiæq; *in sacris Deæ Phrygiæ Cybeles,* vel Berecynthiæ *inventæ & usurpari solitæ cantibus,* non sine fistulâ, *alijsq; instrumentis jucundißimis.* Illic *etjam quotidie* pueri cum teneris virginibus *& puellis* tuum numen laudantes *& celebrantes* bis mane *ac vesperi in tui honorem ad numerum ternarium & imparem saltantes, tenero* candidoq; pede humum ter *pulsabunt &* quatient, *&* in morem Salium *sacerdotum Martis, qui Ancilia gerentes magno corporis motu saltant choreas agitabunt. Nimirum Paulum Fabium Maximum tibi rebusq; amatorijs accommodatißimum invenies.* Me

autem

autem Horatium ab omni amatoriâ re jam alienum, nec fæmina *amplius aut amica ulla*, nec puer *amplius formosus & in delicijs habitus*, nec spes *amplius ulla* animi & *amoris* mutui, *ut mutuo ab aliquâ vicißim amer, cujus impotenti amore correptus sum*, juvat & *delectat*; nec *amplius æqualibus poculis in convivijs cum amicis* mero *vel vino epoto* certare & *contendere*, nec *una cum poculis coronas accipere*, & *recentibus ac* novis floribus *inter bibendum* tempora vincire, & *coronare*. Sed, ô Ligurine *puer formosißime*, heu *misero mihi*! cur *ego vel tantus senex existens cum aliàs rarißimè soleam, tui amoris desiderio fleo*? & cur lachruma rara & *insolita, quæ aliàs tanto seni rarò* per genas *defluit, cur illa mihi erumpit*, & *per genas* manat, *tui quando recordor*? cur lingua *mea aliàs satis loquax, vocalis*, & facunda *mihi* inter verba, *inter loquendum titubat & obmutescit, inq́; signum nimij amoris* silentio *mihi viro honesto & gravi* parum *convenienti* & decoro cadit & *labitur*? O *dure, inflexibilis*, & *inexorabilis Ligurine*, ego Horatius nocturnis *in* somnijs, *tui desiderio detineor*, teq́; jam *quasi* captum *brachijsq́; cirumdatum ex amantis affectu osculari & amplecti mihi videor, teq́; quasi* teneo; jam *verò* te *quasi in campo Martio ludentem* per *ejus* campi gramina & *aream tanquam alitem* volucrem *è complexu meo avolantem*: *jam* te *in Tyberi natantem* per volubiles & *fluviales* aquas asidue sequor, & *incredibili tui amoris desiderio vel nocturno etjam tempore agitor & excrucior*.

ODA II.
AD ANTONIVM IVLVM.
Pindarum imitari periculosum esse.

AVctor *mihi fuisti*, *Antoni* Iule, *ut insignia bella & res præclarè gestas Augusti Cæsaris Pindarum imitatus describam, & immortali carmine posteritati consecrem. Ego verò me vel rebus Augusti gestis parum idoneum, vel eximij illius Lyrici exemplo longè imparem deprehendo & invenio.* *Certè* Pindarum quisquis *est, qui* æmulari, *ejusq́; verborum & sententiarum majestatem carmine exprimere & exæquare* studet & *annititur, ille famæ & existimationis suæ non minus periculum*

adit, quàm si cum Icaro cereis pennis volitare velit. Quemadmodum enim Icarus pennis nimis fragilibus & cereis in sublime ad cœlum & solem volare contendens, præceps in subjectum mare decidit, ita etjam quicunque imitatur illum Pindarum, & ad ejus sublimitatem elevari, cumque imbecilli & fragilis sui ingenij venâ exæquare volet, ille Icari exemplo pennis cerâ conjunctis ope artificioque Dædali patris, corpori adfixis, dum volat adnititur; & quemadmodum Icarus suo casu & ruinâ vitreo & pellucido ponto nomen dedit, illudque à se Icarium mare appellavit; ita ille imitator quoque tantum nudum irriti sui laboris nomẽ, & ludum ac jocum posteris daturus & relicturus est. Quis autem nostro tempore ingenij acumine & robore tantum sibi arrogaverit, ut sese Pindarum, vel verborum gravitate, vel sententiarum acumine & ubertate assequi posse confidat? Certè Pindarus ille Lyricus maximus summus & penè immensus ignei ingenij vi & acumine fervet, verbisque sublimibus instar alicujus ignis ascendit, nec leviter aut vulgari modo incedit, sed gravibus sententijs, & ore sublimi pariter & profundo, maximo verborum & sententiarum impetu ruit, idque velut amnis uberrimus & copiosissimus ex summo aliquo monte impetuosè deorsum currens, quem amnem imbres & aquæ pluviæ copiosæ & abundantes super fluminis margines & ripas, quas crebro alluentes notas sibi fecerunt, aluerunt, & copiosum abundantemque reddiderunt. Nempe in quo perfectio, plenitudo, & abundantia tanta est, ut penè aliorum hominum condicionem excedere & superare videatur. Atque adeo qui Apollinari coronâ, & Phœbeâ lauro ubique donandus & decorandus est, quicquid etjam scribat: sive nova & inusitata verba, tantâ dexteritate à nullo antea unquam prolata per Dithyrambos, cantiones & choros Rhithmicos in honorem Bacchi constitutos robustos audaces & animosos summâ majestate deorsum versat & devoluit, & grandia verba facit defluere, & numeris versibusque Dithyrambicis liberalioribus, & lege versus solutis & liberatis felici impetu fertur ac rapitur: sive canit in Olympijs & Pythijs Iovem & Apollinem Deos, & in Isthmijs ac Nemeis Palæmonem, Archemorum, Herculem, Perithoum, Thesea, Bellerophontem, aliosque reges & heroas, deorum sanguinem, & à Dijs immortalibus oriundos; per quos in nuptijs Perithoi, & alibi Centauri propter libidinem & petulantiam, quàm sceleratissimè passim exercuerunt, morte justâ & meritâ ceciderunt & trucidati sunt: Et per quos etjam flamma & ignis ille, qui ex faucibus tremendæ illius Chymæræ monstri tergemini

mini & formidabilis eructabatur, cecidit & *extinctus est: sive deniq;* dicit *Pollucem* pugilem, & *Castora* equorum *cursu plaeclarum;* quos palma & *victoria apud Elidem Epiri civitatem Olympico certamine relata tanquam Dijs* cælestibus *pares, cælumq; gloriâ attingentes* domum reducit, & *gloriosos ac famigerabiles celeberrimosq; apud patriæ suæ cives reddit, illosq;* donat *suis carminibus immortalibus, aliquo* munere centum signis & *statuis manu factis meliore* & potiore, & *monumento omni ære solidiore magisq; perenni: Sive etjam* Epicedia, & Epitaphia *scribit, ijsq;* juvenem *aliquem sponsum* sponsæ *suæ tristi mæstæ ac* flebili *præmaturâ morte* raptum & *ablatum* deplorat, & *sui seculi* viros *Heroas validos & robustos, illorum*que animos *in periculis indevictos & imperterritos*, & mores *probos, honestos, sanctos atq; adeo* aureos ad astra *usq;* educit, & *ad cælum usq; laudibus tollit*, & nigro Orco & *oblivioni illa omnia* invidet *subtrahit & subducit, & memoria nunquam interiturâ donat. Sic est, ô* Antoni Iule, *illum* Thebanum *Poëtam Pindarum, qui in* Dircæ *fonte tanquam altivolans* cygnus *natus & enutritus est*, multa aura, *validus spiritus, & copiosus aër in sublime ad cælum elevat & attollit;* quoties *nimirum ille* in altos nubium tractus, *in superiorem aëris regionem, Deorum, regum, & victorum laudes decantans longissimè ab humo sese extollens*, tendit & *evolat: At contra* ego *Horatius parvus & humilis Poëta ejus collatione tantum* more *at*que modo *alicujus* apis, *quæ in* Calabriæ *saltu* Matino *circa terram volat*, & thyma *aliosq; flores sibi gratos & acceptos laboriosè & difficulter* carpit & *depascitur; sic ego, inquam*, circa nemus & *sylvas in secessu solitario, & circa marginem ac* ripas Tyburis *propter aquarum copiam* uvidi, *humidiq; exspaciatus*, operosa & *laboriosa* carmina per plurimum laborem *maximamq; curam*, fingo, *meditor & compono. At verò tu, ô Antoni Iule, tanquam excellens vates &* Poëta *res Augusti Cæsaris egregiè gestas longè digniori carmine poteris describere, &* majore plectro, *sublimiori carmine, graviori scribendi spiritu & majestate* Cæsarem *Augustum* concines & *decantabis*, quandocunque *ille triumphali lauro* & fronde *propter virtutem & fortitudinem bellicam* promeritâ decorus & *exornatus de hostibus devictis triumphum* aget, & Sicambros *Germaniæ populos* feroces rigidos & *indomitos* per sacrum clivum *Capitolinum in triumphum spectandos reducet. Nimirum hic amplissimam scribendis carminibus tibi materiam suppeditabit. Certè qui omnium*

hominum quotquot fuerunt, sunt, & futuri sunt, optimus & maximus jure existimatur, & quo fata & Divi *rebus* Romanis *faventes* boni & *benigni, urbi Romanæ* & terris *mundi*, nihil majus, *nihil* melius donaverunt, & nec dabunt *unquam*, quamvis *etjam mundi* tempora in priscum aurum, *in pristina aurea sæcula* redeant & *revertantur. Tu scilicet, ut dixi, propter victorias & triumphos Cæsaris*, dies *lætitiæ destinatos*, & ludos publicos *variè* in urbe *constitutos*, & forum *omnibus* litibus & *controversijs forensibus* orbum & *carens*, & *perpetuam quasi felicitatem* super *felici* reditu fortis *illius & magnanimi* Augusti *Cæsaris à Dijs* impetrato concines, & *decantabis. Ibi* tum *ubi nimirum tu Pindarica vena & carminis majestate bella & triumphos Cæsaris illustrabis: etjam* bona pars meæ vocis *ex laudibus Cæsaris constans ad tuos cantus* accedet, *tuisq; carminibus adjungetur* (*si modo* aliquid audiendum, & *memoratu vel auditu dignum ego vilis & plebeus* Poëta loquar) & Cæsare *Augusto* recepto & *recuperato*, & *ex ferocitate hostium & incerto belli eventu, nobis feliciter restituto, ego tanquam felix fortunatus & beatus* canam: ô sol pulcher: ô *dies festive* & laudande: & *te*, *ô triumphe*, dum procedis & *perageris* omnis civitas *omnesq; cives*, non semel, *sed iterum atq; iterum* dicemus, & *faustam illam acclamationem iterabimus*: Io triumphe, jo triumphe, & Divis *Romanorum rebus* benignis & *faventibus* thura dabimus & *sacrificia offeremus. Ibi tum cum uterq; & ego & tu voti rei simusnos voto pro salute Cæsaris facto liberabimus, & te tanquam opibus abundantem, maximæ victimæ*, decem tauri, & totidem vaccæ *voto liberabunt*: me *autem Horatium fortunæ tenuioris* tener *aliquis* vitulus, qui *jamprimum* matrem reliquit *à voto pro salute Cæsaris facto* solvet. *Nempe qui vitulus propter* mea vota *Dijs facta, futuro sacrificio destinatus jam* largis & *copiosis* herbis *in prato* juvenescit, & *juvencus fit*, & fronte *suâ splendorem curvorum cornuum*, & curvatos ignes lunæ, *quæ jam* ortum *suum* tertio die *post novilunium* refert & *reducit*, imitatus *est*, quâ *in parte ille visu vel* aspectu niveus *candidam aliquam* notam duxit, *cum* cetero *toto corpore* fulvus *sit*, & *rufo colore.*

ODA

ODA III.
AD MELPOMENEM.
Se ad Poëticen natum, & per illam immortalem gloriam consecutum esse.

FOrmosissima & jucundissima Musarum Melpomene, quicunque ille hominum est, quem tu in jucundissimam hanc diei lucem nascentem & editum placido lumine, benignis & amicis oculis propitia videris & intuita fueris: ille nullo alio vitæ genere, nullo alio certamine aut ludo decus & gloriam consequetur, illum nullus labor, quantumvis immensus in curuli certamine Isthmico tanquam robustum athletam & pugilem pugnis valentem ex palmâ & victoriâ consecutâ clarabit, & nobilem famigeratumque reddet: illum etjam impiger celer & velox equus in Græco aliquo curru quadrijugo certantem & victorem non ducet & velocissimè secum rapiet: illum denique neque res, industria, & fortitudo bellica tanquam summum belli ducem & imperatorem hostium suorum victorem & triumphantem Delijs & Apollineis folijs, aut laureâ coronâ exornatum in Capitolium deducet, ibique gloriosum & superbum populo Romano ostendet, quod hostium suorum regum inflatos animos, & tumidas minas atque machinas contuderit, fregerit, domuerit & represserit: sed ille nobilis ac insignis Poëta futurus est, illumque non Isthmus, aut alius locus sacris certaminibus dicatus, sed aquæ illæ quæ fertile illud opidum Tybur præterfluunt, & nemorum sylvarumque spissæ comæ, densæ frondes & copiosa arborum folia, alijque amœni loci & secessus Æolio aliquo & Lyrico carmine, quale Alceus & Sappho condiderunt, nobilem & illustrem fingent, & apud exteras nationes clarum & celebrem efficient. Hinc etjam Horatio mihi decus & gloria juventa atque parta est, nimirum ex sanctissimarum Musarum cultu ac studijs. Nam Romæ omnium terræ urbium imperatricis, & principis suboles & universus populus me Horatium propter lyræ studium & immortalia ingenij mei monumenta inter amabiles Lyricorum Poëtarum choros ponere & annumerare dignatur: quin etjam jam eò virtutis laude ac gloriâ deveni, ut omnem invidiam superaverim, & aliorum æmulorum livido dente, & mordacibus calumnijs minus mordear. & proscindar.

Hoc

Hoc omne & universum non meo ingenio, meo studio, & industriæ: sed divino sanctissimarum Musarum auxilio, ductui, & auspicio acceptum fero. O sanctissima & divinissima Pieri Musa Melpomene, quæ dulcem strepitum, & amabilem cantum aureæ & amœnissimæ Lyræ, testitudinisque temperas, moderaris, & ad concordem concentum inflectis! O sanctissima Musa, quæ omnipotens es, & si tibi libeat, tuq; velis etjam mutis piscibus jucundissimum illum cygni sonum donatura es, eosq; non solum vocales, sed etjam Musicos reddere potes: quod ego Horatius Romæ in precio & admiratione sum, & tanquam vir laudabilis & admirandus prætereuntium digito demonstror: quod non Græcæ, sed Romanæ lyræ fidicen sim, & omnium primus ac princeps Æolium Lyricũ carmen ad Italos numeros, & Romanæ linguæ modos deduxerim, illud omne & universum tuæ gratiæ, tui muneris & beneficij est. Atq; adeo quod ego spiro, & vitam spiritumq; duco, alijsq; in admiratione sum & placeo (si tamen placeo, meaq; carmina apud viros doctos in quodam numero honore & pretio habentur) illud totum, omne, & universum, ô Musa Melpomene, tuum solius est, & nulli præterea debetur.

ODA IV.

DRVSI LAVDES.

O Gratam famem! ô gloriosam victoriam! ô virtutem & magnanimitatem Imperatoris Drusi indevictam, & insuperabilem! Quis autem imperatoris Drusi immortales laudes, & res in bello contra Rhætos & Vindelicos vel fortiter vel sapienter gestas satis prædicare aut condignis laudibus illustrare unquam poterit? nimirum qualis ales ille minister fulminis Iovis aquila, cui Deorum rex Iupiter in vagas & errantes aves regnum permisit & concessit, (quippe cujus fidele ministerium in Ganymede illo flavo pulcherrimo & formosissimo Trois regis filio in cælum rapiendo expertus est) quam vegetus, alacer & robustus ille fuit, cum olim juventus & patrius ingenitusque vigor ipsum jam non pullum amplius, sed juvenem foras ex nido expulit, ut ibi non amplius lateret, sed ipse sibi pabula quæreret, primumq; tyrocinum rapinæ institueret; idq; prædandi hactenus imperitum, & jam primum volare incipientem, laborumq; adhuc inscium; & quem verni

ven-

venti, *Zephyrus & Favonius, vernumq; tempus quo excluditur, hyeme* & nimbis *brumalibus*, jam remotis docuerunt paventem *adhuc, & feras aggredi timentem, primos,* insolitos, *& inusitatos volatus, & prædandi conatus: quem etjam alitem Iovis aquilam paulo post magis in rapinis exercitatum* vividus impetus, *& vegetus animi vigr, & innata nobilitas,*in ovilia*& alia minora animalcula rapienda & devoranda tanquam* hostem *ab alto deorsum* misit; nnnc *etjam postquam adhuc animosior factus est, fames & edendi desiderium, &* dapis *cibiq; cupiditas* & pugnæ *naturalis* amor in dracones *& serpentes sibi* reluctantes *& naturali odio contendentes, interimendos, & devorandos, compulsit & co*egit. *Qualis etjam robustus & magnanimus leo est, adhuc juvenili ætate florens, & vegetus,* quem caprea *aliqua, quæ tantum* lætis pascuis intenta *est, animumq; in pratorum delitijs occupatum habet, vicinumq; hostem* leonem *non animadvertit, neq; timet, paulo ante à* lacte depulsum, *&* ab ubere fulvæ *suæ* matris *remotum, juvenem, animosum, & formidabilem* vidit: *cujus* dente novo, *& nondum prædæ assuefacto, inve pugnâ exercitato* peritura, *discerpenda, & devoranda est; Qualis, inquam aquila aut leo junior, talem, tam fortem vegetum, robustum* & *magnanimum,* viderunt Rhœti Vindelici Drusum *Neronem* bella sub Alpibus gerentem, *& ibidem memorabili victoriâ potitum.* Quibus *Vindelicis* und*è*n*am ille* mos per omne tempus *multis jam retro sæculis* deductus *& usurpatus sitcut* dexteras *suas,*tali securi,*quali* Amazones *mulieres quondā in prælijs usæ sunt obarmēt, & muniāt, illud* inquirere, *& curiosius indagare, hactenus* distuli, *& in aliud cōmodius tēpus rejeci,* (neq; *enim* fas est *unum hominē* omnia scire, *& unus altero plus scit, nemo omnia*) sed *hoc certo scio & affirmo quod Vindelicorum & Rhætorum* catervæ, diu *longoq; tempore,* latèque *per multas regiones, hactenus* victrices, *hostibusq; suis in bello superiores, jam* consilijs, *auspicijs, fortitudine & magnanimitate* juvenis *Drusi tandem aliquando rursus* victæ *& vicißim superatæ sint, Atq; adeo quæ Vindelicorum copiæ virtutem & institutionem Romanorum magno suo malo expertæ sunt, &* senserunt quid*nam animus,* mens, *& prudentia,* quid*nam* indoles, *ingenij bonitas, & fausta inclinatio in domo divi Augusti* sub faustis penetralibus,*in quibus omnis virtutis & fortitudinis schola quasi patet,* possit *& valeat;* quid*nam* Augusti animus *in privignos & adoptivos* pueros *Drusum & Tyberium* Nerones *verè benivolus, & adfectus, verè*

C pater-

paternus, (*virtute Augusti in adoptivos quasi derivatâ*) *momenti habeat. Sic est:* ex fortibus, *magnanimis*, & bonis *viris* fortes *etjam & boni* procreantur. *Idq; non solum in homine; sed etjam in brutis verum esse quotidiana testatur experientia. Nam* patrum virtus, *& ingenita bonitas etjam* est in juvencis *& bubus*, est *etjam* in equis *& caballis, inq; eorum posteros derivatur, qui à parentem virtute nunquam degenerant.* Neque *enim* feroces *& magnanimæ* aquilæ *aliquam* columbam imbellem *& ignavam* progenerant *& producunt. Quod quamvis ita sese habeat; sed tamen maximum momentum in cujusq; doctrinâ & educatione positum est. Nam* doctrina *& proba institutio* insitam vim *& virtutem, naturalemq; inclinationem (quæ aliàs vel neglecta facile extingueretur, vel pravâ educatione & consortio facilè degeneraret)* promovet, *excitat, provehit, melioremq; facit:* & recti cultus, *bona institutio, & accurata ingeniorum cultura egregia* pectora *in rectâ virtute* roborant, *conformant, & confirmant. Quæ aliàs instar fertilißimi, & neglecti, aut prav exculti agri sentes, spinas, lappas, fructus, inquam, inutiles, vel etjam noxios producerent. Nimirum* utcunque *proba institutio deest, ubicunq; accurata educatio secundum probos mores, & honesta doctrina & disciplina* defecerunt, *ibi* culpœ, *mali* mores, *ignavia, & peccata, etjam illa, quæ* benè *& probè* nata *sunt, illos qui optimis parentibus optimo loco nobiles & generosi prognati sunt*, dedecorant *& deformant.* O Roma, quid*nam tu priscis* Neronibus *hujus Drusi progenitoribus* debeas, *& meritò acceptum feras, & quàm præclarißimè illi de te, & totâ* Rep. *ejusq; incolumitate & salute promeriti sint; illud* testatur Metaurus *Vmbriæ* flumen, & Asdrubal *frater Annibalis ad illud flumen A C. Claudio Nerone cum quadraginta quinq; milibus* devictus, *imò occisus, & capite truncatus, quod Annibali fratri ante castra projectum fuit: testis est* ille dies *serenißimus, quo victoria memorabilis parta est, quo annibalis ferox animus domitus & mitigatus est;* qui *dies anxietate sollicitudine, alijsq;* tenebris *ex Romanorum animis, & toto* Latio *propter victoriam depulsis acceptus, gratus, candidus, & serenus*, almâ adoreâ *& victoriâ tandem aliquando clementer nobis* arrisit *nosq; benigno vultu respexit. Nimirum cum* dirus *ille, & crudelis imperator Africanus Anibal* velut flamma *& ignis* tædas, *aliamq; incendibilem materiã furiosè solet corripere & invadere, & repente consumere,* vel *ut* Eurus *impetuosus ille & turbulentus* in mari Siculo *horribiliter tumultuatur; sic*

per

per Italas urbes, *& totam adeo Italiam incredibili velocitate, & inauditâ crudelitate populabundus equitavit, perrupit & percursavit.* Post *hanc victoriam, quâ Claudij Neronis auspicio Asdrubal fuit extinctus, & Afrorum ferocia domita fuit,* Romana pubes crevit, *& paulatim* secundis laboribus *prosperisq; bellis ac prælijs corroborata fuit, &* fana, *Deorum templa*, & *delubra, quæ* impio Pœnorum tumultu, *bellicâ & hostili vastatione diruta &* vastata *erant; illa postmodum* rectos deos, *rectosq; sacrorum & deorum cultus Annibale profligato rursus* habuerunt: & Annibal *ille, qui crudelis &* perfidus *omnium primus fœdus inter pœnos & Romanos factum fregit, ille postquam diu restitit tandem sese victum fassus manus dedit, &* dixit: *Nos Carthaginenses, qui sumus tanquam imbelles & ignavi* cervi, *nos, inquam, Romanorum tanquam* rapacium luporum, præda, *esca, spolium, & rapina,* ultro sectamur *illos,* quos *Romanos lupos non solum vincere, sed etjam* fallere & effugere *magnus & opimus est triumphus, nosq; ex incredibili dementiâ contra illos pugnamus, quos etjam evitare summa est victoria, Ita est,* gens *illa Romana,* quæ sacra *per Æneam à Dijs originem deducit, & quondam in vasto Tyrrheno mari* Tuscis æquoribus *variè iniquitate maris acta &* jactata *fuit, & quæ Ascanium aliosque* natos, *& Anchisen aliosq;* patres maturos & *senio confectos* ad urbes Ausonias *in Italiam* ab Ilio *à Græcis combusto &* concremato pertulit, *secumq; navibus deduxit & advexit: illa ex suæ urbis ruinâ & clade* fortis *& magnanima est, & ex adversâ fortunâ & calamitate fortitudinem & robur contrahit; non secus* ac ilex nigris frondibus *& densissimis folijs* in Algido *monte in agro Tusculano non longè à Româ* feraci *& fertilissimo* duris *securibus &* bipennibus tonsa *succisa, suisq; ramis spoliata, magis magisq; crescit,* opes ducit, *& incrementum sibi comparat, & acquirit,* & *quasi* ab ipso ferro per damna & per cædes animum *vigorem & augmentum consequitur, quantoq; plura ramorum suorum damna patitur, eo magis in altum crescit.* *Certè* Hydra *illa Lærnea* non firmior *neq; animosior fuit, cum ipsa pro uno capite amputato binis & pluribus repullulãtibus semper numerosior & validior* in Herculem (qui *si ab aliquo* superandus *fuisset eximiè* doluisset,) crevit *& magis insuperabilis invasit; quàm* Romanorum *gens, quæ damnis, bellis, & prælijs* magis *confirmatur:* nec monstrum *draco ille aurei velleris custos, & armati homines ex hujus dentibus seminatis nati, quod* Colchi *Iasoni, reliquisq; Argonautis aureum vellus ra-*

pluris submiserunt & ediderunt; vel illud aliud monstrum draco ille Marti sacer, quem urbs Thebarum ab Echione condita Cadmo immisit; (quem ille cum Thebas conderet, interemit, cujusq; dentes cum Palladis consilio seminaret, exinde armati milites orti statim mutuis vulneribus ceciderunt, Echione & alijs quatuor, quos Cadmus in urbe condendâ sibi adjutores accivit tantum exceptis) illud, inquam, monstrum majus non fuit, vel contra Iasonem, vel contra Cadmum; quàm populus Romanus contra nos Afros. Nempe quem si profundo mari & imo pelago merses & obruas, pulcrior evenit inde, & emergit: sin lucteris cum illo, illumq; in luctâ initio supplantes: tum illa te primum victorem integrum incolumem & nunquam antea victum rursus prorvet, proculcabit, & prosternet, & quamvis victorem, multa cum laude vincet & evertet, tecumque prælia geret, olim ab eorum conjugibus per summam jactantiam loquenda & commemoranda. Eheu ego Annibal jam tanta clade accepta non, ut illo tempore, cum Romanos ad Cannas trucidarem, & aliquot modios annulorum à digitis trucidatorum equitum detractorum Carthaginem mitterem, nuncios superbos & læta annunciantes mittam. Eheu occidit jam, occidit inquam, omnis spes victoriæ, teq;, ô Carthaginis fortuna, agnosco, cum caput fratris mei conspicor: occidit etjam & deperijt nostri nominis fortuna, & totius Carthaginis felicitas meo fratre Asdrabale cum toto exercitu ad internecionem interempto & trucidato. Nempe manus, vires & copiæ Claudiæ Neronianæ nil non facient, omnia efficient, & quicquid contra nos tentabunt, perficient: atq; adeò quas copias viresq; & Iupiter suo benigno numine favore & benivolentia contra nos hostes protegit, defendit, & tuetur; & quas ducum vigilantia, indefessum studium, accurata solertia, sagaces curæ & providentia per omnia belli acuta, discrimina & pericula expediunt, liberant, & facultatem vincendi, aut certè evadendi feliciter concedunt.

ODA V.

AD AVGVSTVM.

Vt tandem in urbem redeat.

O opti-

O Optime & maxime imperator Dive Auguste, qui per Æneam & reliquos progenitores tuos, à Dijs bonis propicijs & benignis ortus & progenitus es, & qui Romanæ gentis custos & protector à Dijs immortalibus constitutus es: tu jã nimiũ diu à nobis, & ab urbe Romanâ, quæ tuo abitu & absentiâ summo quasi parente orbata est, abes: cum tamẽ maturum & celerem reditum Senatorum cõventui, & sancto patrum conscriptorum consilio pollicitus sis. Age tandem ad nos redi & revertere, teq; nostræ urbis custodem restitue age ô dux & imperator bone felix & salutaris redde aliquando te tuæ patriæ, tanquam lucem salutem & incolumitatem. Nam ubi tuus vultus, & tua tanquam numinis præsentia instar grati & amœni veris populo Romano affulsit & lætissima arrisit; tunc longe major dierum serenitas est, tunc dies velut veris tempore longè gratior & jucundior procedit: tunc etjam soles meliùs, puriùs, & splendidiùs nitere videntur. Certè velut anxia quædam & sollicita mater juvenem filium suum peregrè absentem omnibus votis, omnibus precibus & supplicationibus pro filij reditu factis & effusis, vocat, reditumq; ejus avidè desiderat, quem longius ac diutiùs annuo spacio à domo absentem, & ultra annum remorantem, Notus ille, & Australis ventus inimico adverso & reditum invidente ventorum flatu trans æquora maris Ægypitj aut Carpathij ultra Rhodum & Candiam, destinet, detinet absentemq; cohibet, & quemadmodum illa mater faciem suam à curvo maris littore nunqnam demovet, & sollicitè illas maris partes observat, aßiduèq; aspicit, ex quibus filium reversurum sperat: Eodem etjam modo tua patria urbs Roma pio ac fideli tui desiderio affecta icta & perculsa, deq; te absente sollicita te patriæ patrem Cæsarem & imperatorem quærit, deq; te sedulò sibi circumspicit. Idq; non immeritò; Quippe cui tot beneficiorum, atq; adeo omnis felicitatis, concordiæ, pacis, incolumitatis, & salutis deniq; unus & solus auctor es. Tuo enim solius salutari ductu & auspicio, in toto imperio Romano atq; adeo in universo mundo perpetua felicitas, concordia, & pax viget, tuo munere ac beneficio Italia tranquilla & pacata est: Quippe ruris coloni jam sine omni incursione hostili, tuti & securi agros suos colunt, & bos inter arandum ab omni periculo bellico tutus & immunis per rura perambulat: ipsa autem rura, & rusticos labores frugum DEA Ceres & alma faustitas ac felicitas suo munere ac numine nutrit ac felicitat, agrosq; fertilißimos reddit: ipsi nautæ per paca-

tum placidum & tranquillum mare navium velis tanquam pennis celeriter navigant, & quasi volitant; ipsumq; pelagus nullis prædonibus infestum est: fides etjam & pacta & transacta Romæ jam constanter & religiosè servantur, nec cujusquam fides culpatur: nemo qui illam violet aut labefactet, omnesq; cavent tale aliquid committere propter quod culpentur: casta etjam domus & familia casta manet, & nullis stupris, nullis adulterijs polluitur & violatur: boni etjam mores, & lex severißimè lata omne nefas maculosum, & turpitudine deformatum edomuit, fregit, & è medio sustulit: matres ob pudicitiam suam laudantur, quod non cum adulteris sese commiscent, sed suis maritis similem prolem progenerant, cum sunt puerperæ: atq; adeo ipsam culpam scelera & peccata ipsa pænas comes tam cito consequitur, ut illam in tergo premat: quis autem Divo Cæsare Augusti vivo, salvo, incolumi, & imperium Rom. obtinente truculentum illum hostem Parthum; quis autem Scythen in septentrionali regione nivibus ac glacie rigidâ ac gelidâ habitantem; quis autem vastißimos illos fætus & filios, quos dira & horrida Germania parturit & producit amplius timeat, paveat & reformidet? quis autem feræ indomitæ & bellicosæ Hispaniæ regionis Iberiæ bellum, & incursiones hostiles amplius curet? nimirum unusquisque rusticus in collibus & vinetis suis diem condit & peragit, inq; rusticis suis laboribus nullo metu hostilium incursionum deterritus diem ad finem perducit, & vitem ad populum, ulmum, aliasq; arbores viduas, & cum vitibus non maritatas adducit & conjungit: & hinc ab agriculturâ & labore rustico hilaris ac lætus ad vina, convivia & commessationes redit, & te, ô Dive Auguste, cum primæ epulæ remotæ sunt in secundis mensis infuso in pateras mero tanquam Deum adhibet, tibiq; tanquam Deo vinum libat & effundit, tuumq; sanctum numen mero in pateris defuso multa prece, multisq; votis prosequitur, tuum sanctißimum nomen & numen cum Laribus & Penatibus suis miscet & conjungit, & una tanquam Deum invocat. Certè quemadmodum olim Græcia Castoris & Pollucis, & magni illius monstrorum domitoris Herculis ob immensa beneficia memor; ita etjam Romani maxima tua beneficia accepta gratâ mente & recordatione tanquam Dei cujusdam colunt: nosq; Romani omni diei tempore, sive matutino dum adhuc sicci & sobrij nondumq; poti sumus, cum dies adhuc solidus & integer restat; sive etjam vesperi, quando sol jam occidit, & Oceano subest cum uvidi, vino pleni, ebrij & cœnati sumus,

mus, in hæc verba semper dicimus *& precamur* : O dux bone *& Imperator optime Auguste,* utinam *brevi tempore reverteris* , *&* Hesperiæ *totiq; Italiæ reversus multorum dierum* longas ferias præstes , *ut læti ac hilares dies festos & sacrificia peragere possimus.*

ODA VI.

AD APOLLINEM ET DIANAM.

Carmen seculare.

DIve *Apollo, cujus immensa vis est, & indevicta potentia, cujus tela & sagittas* magnæ *gloriosæ* , *& jactabundæ* linguæ vindices *& ultrices Amphionis &* Niobæ *septem filij & totidem filiæ suo malo & exitio senserunt ; quorum mater Niobe cum ob numerosam* prolem *sese tuæ ac Dianæ matri Latonæ geminam tantum prolem habenti gloriosè præferret, uno die omnes suos liberos tuis sagittis confossos, perdidit : Quem etjam* sensit Tityus *Iovis & Elaræ filius, qui Latonam tuam matrem* rapere, *& de stupro interpellare non dubitavit. Quare tuis sagittis confossus, apud inferos vulture ejus jecur continuò renascens lacerante æternùm punitur. Quem deniq; sensit* Achilles *ille ex* Phthiâ *Thessaliæ civitate oriundus, Græcorum fortissimus* , *qui* altæ, *insignis* & *excelsæ* Trojæ propè victor *& eversor fuit : quippe paulo ante, quam Troja caperetur, occisus. Certè qui* ceteris *Græcis* major, *fortior & robustior* miles *fuit : at quamvis fortissimus, te tamen minor* tibiq; impar *extitit:* quamvis *ille Pelei &* Tethidos *Nymphæ* marinæ *Nerei* , *& Doridos filiæ* pugnax *& bellicosus* filius *existens metuendâ &* tremendâ cuspide *hastæ suæ Peliadis propugnacula, &* turres Dardanas *Trojanæ urbis tanquam demoliturus* tremefaceret *& concuteret.* Nimirum ille *Achilles dum in urbe Trojanâ Polyxenæ nuptias sperat* , *tuo auspicio per Paridem Alexandrum* (*cujus tu sagittas direxisti*) *occisus,* velut *procera quædam* pinus mordaci ferro icta *& dejecta,* aut *velut* cupressus *arbor ab impetuoso vento* Euro *vehementi* impulsa *prostrata : sic magnâ sui corporis mole postquam procubuit latum locum implevit,* lateq; procidit *& prostratus est,* & *dum ad terram prosterneretur,* collum *suum in* pulvere Teucro *occumbens* deposuit. *Nempe Achilles* ille *si te permittente vitam ad* Trojam *captam producere potuisset* (*ut animo fuit simplici & aperto, &*

to, & violento pariter & crudeli) in equo *Trojano cum reliquis Græciæ primoribus* inclusus Trojanos malè *ac intempestive* feriatos, *& magno suo damno ac pernicie otiantes, cum vigilare deberent* & aulam Priami choreis *& tripudijs* lætam, *urbemq́ꝫ* Trojanam *somno ac vino sepultam, non* falleret, *& in equo* (qui *tanquam votum esset pro reditu Græcorum, & ipsi* Minervæ *violatæ* sacer *simulabat &* mentiebatur) *inclusus nocturno tēpore per dolū invaderet:* Sed *Trojanis aperto Marte & palā suo robore & fortitudine victis, superatis ac* captis gravis *violentus ac crudelis futūrus erat, &*, heu! *summū nefas! heu sævitiam & crudelitatē nimiā! ferro atqꝫ igni ōnia devastasset, inqꝫ gravidas mulieres sævijsset*, & pueros etjam *infantes &* in matris alvo *adhuc* latentes *Græcis* flammis combussisset, *omnesq́ꝫ Trojanos morti dedisset*: nisi *summus ille* Divum pater *Iupiter* tuis, *ô Apollo, precibus*, & *almæ* Veneris *Jovi patri* gratæ *& acceptæ* vocibus *& intercessionibus flexus & mitigatus* rebus, *conatibus, ac laboribus Æneæ, ejusq́ꝫ posterorum majus aliquod regnum & imperium fuisset pollicitus, ipsiqꝫ urbis Romæ* muros per Æneæ *posteros* ducendos *meliori* alite, potiori *omine auspicio & augurio, quàm lamentabilis urbis Trojanæ, promittens* annuisset: *nimirum cujus in toto mundo imperium æternùm, & sine fine foret.* O Phœbe fidicen *argutißime & solertißime*, doctor *& instructor* Musæ *peritæ, sonoræ, &* argutè *canentis*, qui Xantho *Trojano* amne *tibi sacro* flavos *tuos* crines *& capillos* lavis: *ô* lævis *& imberbis* Acgilleu *Apollo, qui in villis ac vicis responsa das: age* defende decus, *honorem, & dignitatem* Latinæ *meæ Musæ* Dauniæ. *Certè meritò tibi meum lyræ studium commendo, meritò etjam omnia mea tibi accepta refero.* Nimirum Phæbus *dedit* mihi spiritum, *dedit mihi vegetum & acutum ingenium, dedit mihi* artem carminis *Poëticam*, dedit *mihi* nomen *vatis &* Poëtæ. *Vos etjam nobilißimæ & generosißimæ puellæ*, virginum *Romanarum* primæ *& præcipuæ*, & *vos ô* pueri claris parentibus, *senatoribus, consulibus, & imperatoribus* orti *& progeniti, qui estis sub* tutelâ Dianæ Deæ, *quæ cum fratre Apolline in Delo insulâ nata est*, & lyncas, cervos *aliasq́ꝫ feras timidas &* fugaces *tanquam venatrix suo* arcu *& sagittis* cohibet, *configit & comprehendit: vos, inquam,* Lesbium pedem, *numeros & modum, ac metrum lyricum, Alcaicum & Sapphicum inter saltandum*, & ictum mei Pollicis, *& lyræ sonitum strepitumqꝫ, meiqꝫ carminis modulationem in choreis vestris* observate: *Idq́ꝫ Phæbum Apollinem*

Laro-

Latonæ & Iovis filium ritè canentes & *laudantes*. *Et Dianam ejus sororem nocturno lumine claram & lucentem, & post noviluninm suo lumine ac* face *usq; dum plena sit* crescentem, & fruges, *sata & agriculturam nocturno suo humore* prosperantem *& nutrientem, & deniq; quæ* menses pronos *ac celeriter decurrentes* celeriter voluit, *& ad finem perducit. Nempe vos puellæ ubi* jam *olim* nuptæ *fueritis, tunc ludorum sæcularium lætissimorum aliquando memores, inter vos* dicetis: ego *quondam eximij* vatis Horatij *versus &* modos didici, *& Apollini, Dianæ, alijsq; Dijs gratum & acceptnm* carmen reddidi *& recitavi, idq; cum* sæculum *centum & decem annorum* festas luces, & *sacros ludos sæculares* referret *& reduceret*.

ODA VII.

AD TORQVATVM.

Nihil immortale esse, & ob id hilariter vivendum.

ITa est, ô *Luci Manli Torquate, omnibus hominibus una moriendi conditio sine reviviscendi spe proposita est, & ut omnium rerum, sic etjam vitæ & mortis vicissitudo est; & possidemus peritura perituri. Quo nomine gaudia & voluptates nullo modo differenda sunt, sed in tempore occupanda. Idq; eò impensiùs, cum anni tempus sit longè amœnissimum & jucundissimum. Etenim hoc lætissimo veris tempore* nives, *glacies & frigus brumale abierunt, &* diffugerunt. Iam *ipsis* campis *& agris lætissima* gramina, *fragrantes herbæ,* & *suavissimæ rosæ; ipsis autem* arboribus *frondes, folia & flores* redeunt *& restituuntnr. Jam ipsa* terra *gratissimâ permutatione & vicissitudine temporum* vices mutat, & *pro ingratâ hyeme vernum tempus reducit, &* flumina, *quæ brumæ tempore nivibus & pluvijs hybernis creverant; illa jam* decrescentia *intra suos alveos fluunt & labuntur, non amplius fluviorum margines &* ripas *invadunt aut ingrediuntur, nec ultra illas exsuperant, sed illas in alveo suo decurrentia* prætereunt. *Jam ipsa* Gratia Aglaja cum Nymphis & geminis *suis* sororibus *Thaliâ & Euphrosyne sub dio ludit & saltat, & hoc calido & amœno aëre, cum alio anni*

tempore non poßit nuda *& sine vestibus* choros ducere *& agitare* audet. *Certè ipse* annus, & hora *tempusq;* quæ almum diem, *& amœnas anni partes celeriter* abripit *& consumit*, monet *te*, ne speres immortalia, *ne vitam tuam æternam fore existimes*, *sed aliquando tibi moriendum memineris.* *Etenim perpetua partium anni vicißitudo est*, *& hiemis inclementia &* frigora *mitißimo* veris *adventu, quo* Zephyri *& Favonij venti spirare solent* mitescunt *& fugantur*; *postea hoc vernum tempus, & hanc florum & rosarum amœnitatem* æstas *succedens* proterit *& consumit*; *Æstas, inquam, quæ* interitura *est* simul *aliud anni tempus successerit, & postquam* pomifer *ille* Autumnus *omnis generis* fruges *& fructus in horrea condiderit &* effuderit: & mox *cum Autumni tempus transijt* iners, *ignava, torpida & ingrata* hiems *redit &* recurrit. *Eodem modo nostræ etiam vitæ gratum puerile tanquam veris tempus cito pede labitur, cui juvenilis ætas tanquam æstas mox succedit, quam paulo post sequitur matura illa virilis ætas Autumni instar*: *Hanc deniq; misera illa & calamitosa vitæ nostræ bruma senectus subsequitur. Perinde atq; luna per vicißitudinem post novilunium paulatim crescit donec tandem pleno lumine luceat, postea vicißim decrescens paulatim extinguitur. Illud* tamen *hic discriminis est, quod* lunæ *quarum motus in cœlo omnium* celerrimus, *& sol ac reliquæ stellæ* damna cælestia, *suæq; lucis postquam crevit decrescentis, & reliqua detrimenta mundana, anniq; partium in vicißitudine ortus & interitus positarum facilè* reparant, *recuperant, & reducunt (Nam quæ per interitum denata sunt facile renascuntur) At contra* nos *mortales homines ubi semel mortui sumus,* ubi *semel eò inferiùs ad inferos deorsum* decidimus, *inq; eum locum pervenimus*, quò *pervenerunt* pius *ille* Æneas *qui parentem suum Anchisen suis humeris è medijs flammis Trojanæ urbis extulit*, *&* quo *Servius Tullus Hostilius tertius Romanorum rex* dives *& potens*, & *quo* Ancus *Martius quartus rex, viri fortißimi, qui mortalitatis condicionem evitare non potuerunt, devenerunt post mortem*; *Tunc* sumus pulvis *& cinis*, & *vilis terræ gleba nostris corporibus*; *animis autem nostris apud inferos* umbra, *manes, ac fabulæ, & nulla unquam nobis spes est, ut aliquando reviviscentes in jucundissimam hanc diei lucem revertamur.* *Quid, quod nostra vita adeo fluxa, fragilis, dubia, & incerta est, ut nemo mortalium Deos adeo faventes & propicios sibi habuerit, ut crastinum vitæ tempus sibi polliceri poßit.* Quis *autem* scit an Dij *immortales* superi, *apud quos vitæ ac mortis arbitrium,*

vel

vel hodiernæ *vitæ nostræ* summæ, *numero ac multitudini dierum, quos huc usq; viximus*, crastina tempora *addant*, adjiciant *&* *apponant? Quin igitur cum mortales simus, & quid cras futurum sit ignoremus, hodie hilares ac læti vivimus, hodierna curamus, & animo genioq; quicquid Deorum clementiâ nobis concessum est, liberaliter & benignè indulgemus, nec avarorum more ut hæredem ingratum locupletem reddamus, genium nostrum defraudamus, & egenti fato vivimus.* Certè omnia *illa*, quæ *in curando corpore, & explendâ voluptate consumseris, &* amico *tuo* animo *genioq;* dederis *ac indulseris, illa tua erunt, &* hæredis *tui ingrati* avidas *& inexplebiles* manus effugient: *cum non immeritò in damno reputandum sit, quæ hæredipetis vulturibus post mortem reliqueris. Non enim cogites te aliquando postliminio in vitam & ad tuas divitias, & possessiones posse reverti. Nam* cum semel *mortuus* occideris, & Triptolemus, *Aeacus*, Rhadamanthus, *&* Minos *judex infernalis* splendida arbitria, *& lucida ac serena sine ullo adfectu odio, ira, invidiâ (qualia in terris exercentur) judicia* fecerit *& constituerit: tibiq; pro meritis in vitâ convenientem apud inferos locum adsignaverit: tunc, ô* Torquate, *egregium tuum* genus (*quod ab antiquißimo Manlio Torquato qui Gallo se provocanti occiso torquem auream detraxit, & inde nomen consequutus est) deducis*; non *etjam eximia illa tua dicendi vis, sermonis eloquentia &* facundia; non *deniq; Deorum timor, cultus,* pietas te *humanæ vitæ reddent &* restituent. *Quippe illud ne Heroibus quidem & à Dijs oriundis concessum fuit.* Neque enim *illa* Diana *venatrix, quamvis Dea* Hippolytum *ob venationis & studiorum similitudinem, & perpetuam castitatem sibi carißimum, ex* infernis tenebris *& morte* liberare potuit.

Hippolytus enim cum à noverca Phædrâ amatus, & ad concubitum sollicitatus parere nollet, & propterea apud patrem Thesea à Phædrâ tanquam qui sibi vim inferre voluerit falsò accusatus esset, à patre in pericula conjectus, & à quadrigis discerptus fuit. Illum quidem Diana per Æsculapium in vitam revocavit, & quod bis vir fuerit, Virbium appellavit: sed tamen illi denuò moriendum fuit, illumq; à morte vindicare non potuit; nec ipse Theseus, *quamvis Neptuni filius* charo *amico suo* Peirithoo Læthea *illa adamantina* vincula abrumpere valuit. *Hi enim cum amicißimi forent, conjurati ad inferos ad rapiendam Proserpinam descenderunt. Vbi Perithous à Cerbero discerptus & devoratus fuit, quem Theseus quamvis validißimus à morte liberare non potuit, qui & ipse*

 apud

apud inferos in vinculis detentus fuit, & quamvis ab Hercule liberaretur, denuò tamen ad inferos migrare, & mortis necessitatem subire coactus fuit.

ODA VIII.

AD MARCVM CENSORINUM.

Carminibus immortalitatem comparari.

SI *rerum humanarum domina fortuna, ô* Marce Censorine, *quæ suis muneribus parcius me beavit, magnas opes & divitias amplissimas mihi concessisset, magna etjam & egregia munera in amicos meos conferrem, &* commodus *liberalis ac magnificus* pateras *in summo precio habitas,* & *signa statuasq; & vasa* aurea *affabrè facta,* grata *& accepta,* & tripodas, *poculaq; tres pedes pro sustentaculo habentia, & ansata, quæ* præmia fortium Grajorum *& victorum quondam data & concessa fuerunt,* meis *amicis,* sodalibus, *& familiaribus* donarem, *munerisq; loco concederem,* Sique ego essem dives *illorum signorum &* tabularum *mirandâ* arte *& industriâ* elaborarum (quas *artificiosas tabulas* aut *nobilissimus ille pictor Atheniensis* Parrhasius *pinxit,* aut Scopas *eximius ille statuarius sculpsit &* produxit: quorum hic è saxo *vel* marmore, ille liquidis *& humidis,* coloribus *admirandâ* solertiâ vel hominis vel Dei statuam *effigiemq;* posuit *& efformavit: harum, inquam, tabularum, & horum signorum si dives locuples & opulentus copiam haberem, tunc etjam* neque tu, *Censorine, indonatus à me abires, aut* pessima *aut vilissima* munerum *reportares, sed omnium potissima & præcipua.* Verum *enimverò* hæc vis, *horum facultas copia & potestas* mihi non *adest*: nec *talium rerum* tibi *quoq;* res est *familiaris,* neque *etjam* animus qui *sese existimet* talium rerum *vulgo* in delitijs *& divitijs* habitarum, indigere, *illasq;* cupiat *& desideret. At verò & tu* carminibus gaudes, *& nos* carmina donare possumus, & *illius carminis tanquam* muneris pretium *quanti sit, & quàm immensi muneris loco sit habendum,* dicere, *æstimare, & indicare. Nimirum* nullæ statuæ marmoreæ publicis notis, *titulis, & inscriptionibus honorificis (quæ ab omnibus legi possunt, quibusq;*

egre-

egregiorum virorum res gestæ illustrantur) insculptæ, incisæ *& exaratæ,* per quas bonis *& egregijs* ducibus post mortem spiritus, vita, *& memoria apud posteros* redit: *nulli etjam tituli* illius *statuarum & monumentorum,* qui *Africano bello feliciter confecto, &* à domitâ Africâ agnomen lucratus *triumphans in urbem Romam* redijt, *dico Publium Cornelium Scipionem Africanum; nullæ etjam ejus res gestæ titulis statuarum inscriptæ,* non Annibalis celeres *ex Italiâ* fugæ, *non ejusdem furor* & minæ retrorsum rejectæ, *remotæ & repressæ, non incendia impiæ & perjuræ Carthaginis; hæc omnia non* clariùs indicant *& illustrant Scipionis Africani* laudes, quàm *Musæ* Pierides Ennij *Poëtæ* Calabri, *qui egregio & immortali carmine eximij illius ducis res gestas sapientißimè descripsit. Ennio enim debet, quod ejus res præclaræ gestæ perpetuâ hominum memoriâ conserventur, quæ alias una cum statuis brevi perituræ erant.* Neque *enim* si chartæ sileant, *si eximiorum historicorum & egregiorum Poëtarum monumenta non accedant, apud posteros egregiam tui memoriam laudem, decus, & gloriam,* quod benè feceris *& meritorum in Remp. mercedem tuleris, & consequutus fueris; sed illo omnino privaberis. Age enim* quidnam *ille* Iliæ *Rheæ* & Martis filius *Romulus: ejusq; præclara merita in incunabula urbis Romæ* forent, *nisi perpetua ignorantia, & silentium,* si invida *& iniqua vatum & historicorum* taciturnitas Romuli *laudibus detraheret, ejusq; egregiè factorum cognitionem posteris invideret, vel* meritis *ejus* obstaret, *quò minus futuris temporibus illustrarentur. Sic est,* potentium vatum *& egregium Poëtarum* virtus, *ingenij vis, & potentia,* & *eorundem* favor *& benivolentia,* & lingua, *atq; vox eorum Iovis filium* Æacum *egregijs carminibus apud inferos judicem facit, & Elysio campo &* divitibus *ac fortunatis beatorum* insulis *opinione hominum aßignat &* consecrat, *& quidem illum ex* Stygijs fluctibus, *ex morte & oblivione hominum* ereptum *ex ignorantiæ caligine in gloriæ & dignitatis lucem collocavit. Nam absq; Poëtarum monumentis esset, idem tumulus qui corpus etjam nomen obruisset. Nimirum* virum *egregium & immortali* laude dignum *non virtus & egregia facta, quæ alias facile ignorantia involuit, sed Poëtarum carmina* & Musa *in cælum laudibus attollit, &* cæli habitatione *felicem &* beatum reddit. Sic *etjam per vatum carmina* impiger *ille monstrorum profligator* Hercules Iovis *filius à parente Iove quadrijugo curru in cælum inter sidera translatus est, ibiq; in Deorum convivio diu de-*

 sidera-

ſideratis & optatis epulis Ambroſiæ & Deorum potui nectari intereſt, & *cum reliquis Dijs jucundiſſimè perfruitur: ſic etjam* Tyndari & *Ledæ* filij *Caſtor & Pollux, lucidum &* clarum Sydus *in cœlo, Poëtarum carminibus exiſtimantur, & invocati à naufragijs ſerenitatem reducere & na*ves quaſſas *& naufragium paſſas, jam jam* infimis æquoribus, & *imo altoq; mari immergendas,* eripere, *& à naufragio liberare* credũtur. *Sic deniq; ipſe etjam* Liber *pater Bacchus,* qui *caput &* tempora *ſua* viridi Pampino exornavit, *per Poëtarum carmina in cælum ſublatus & Deus factus, ſi ab hominibus imploretur, & precibus fatigetur hominum vota ac preces* ad lætos *& ſalutares* exitus *perducere* creditur.

ODA IX.

AD LOLLIVM.

Se æternis carminibus res geſtas Lollij ab oblivione vindicaturum. Laus conſtantiæ, abſtinentiæ, &c.

N*Equaquam ô Lolli illa ſententia tuam mentem ſubeat quaſi mei memoria uno & eodem tumulo mecum obruenda ſit;* nec forte credas *illa* verba, *illaq; carmina,* quæ *ego Horatius, qui na*tus *ſum* ad *violentum & verticoſum,* & longè *lateq;* ſonantem *Calabriæ fluvium* Aufidum, *lyræ fidibus &* chordis ſocianda *& coaptanda,* loquor, *& canto, idq;* per artes *novas, inuſitatas,* nec antea vulgatas, *(ut qui omnium primus inter Latinos carmina ad lyram cecinerim)* interitura *& peritura eſſe. Quamvis enim ante meliores & digniores Poëtæ extiterint, interea tamen nominis mei immortalitas mihi omnino denegata* non erit, *meaq; carmina in nullo loco, honore, & numero futura ſunt. Nam etſi Poëta* Homerus ex Mæoniâ *vel Lydiâ* oriundus *inter Poëtas* priores ſedes, *ſupremumq; locum* tenet *& occupat; idcirco* Pindaricæ *Camænæ, & illius ſublimis ac profundi Dircæi vatis Poëmata in obſcuro* latent, *& æternis tenebris perierunt:* non *propterea* Muſæ *Simonidis ex Ceâ Inſulâ exorti;* non *Muſæ* Alcæi minaces *& auſteræ, quibus patriæ ſuæ tyrannos inſectatus eſt, & fugavit;* non *deniq; Muſæ* Steſichori graves *& magni ponderis ſilent ac tacent;* nec ſi quid *jucundiſſi-*

tißimus ille senex Anacreon in jocis convivijs & amoribus olim dignè scripsit, & benè lusit, illud invida ætas omnino delevit, sed multa ejus festivißimi Poëtæ monumenta adhuc supersunt. Quin etjam nostris temporibus Æoliæ puellæ Sapphûs ex patriâ Lesbo ortæ vehemens amor, quo Phaonem puerum perditè amavit, in carminibus ejus quæ supersunt calet adhuc & spirat, ejusque amores lyræ fidibus simul decantandi commissi & sociati adhuc vivunt & vigent, in ejusq; supersunt monumentis. Quàm verò multa summorum Heroum egregiè facta æternùm perierunt, quòd Poëtarum monumentis illustrata non sint! Quot autem peritura erant, nisi eximiorum vatum carminibus à morte ab interitu fuissent vindicata? Non enim existimandum est Trojani belli tempore tantum memorabilia, & Poëtarum carminibus digna gesta fuisse. Multi quippe alij potentißimi reges, & eximij Heroes ante Priamum, Menelaum, Agamemnonem, Achillem & Ajacem vixerunt, quorum nomina & memoria ad nos non pervenit, eò quod suarum laudum præcone & scriptore indiguerint. Multa etjam bella alia ante Trojæ exscidium propter vagas libidines & adulteria exorta sunt. Nam non sola Lacæna illa Helena, Menelai Spartani regis uxor, Paridis Alexandri adulteri eximiam formam, comtos crines, capillos accuratè pexos summo amoris ardore vehementer expetivit, nèq; illa sola & omnium prima aurum adulteri Paridis sui raptoris vestibus illitum & intextum, vestimenta ejus auro picta, & limbis aureis prætexta, cultusque ac ornatus ejus, Priami regis filio dignos & regales, & comites, quos itineris socios sibi elegerat, juvenes formosißimos demirata est: Sed multæ aliæ ante ipsam adulteros amarunt. Nec in bello Trojano Teucer ille Telamonis filius, Ajacis frater, omnium primus arcu Cydonio in Cretâ omnium primo invento tela direxit, & sagittas in hostes Trojanos jaculatus fuit: Ilios etjam urbs Troja non semel vexata bello & capta fuit, sed ante Græcorum obsidionem ab Apolline & Neptuno terra ac mari infestata, & ab Hercule antea capta & diruta fuit. Sed illa bella nemo descripsit. Porro ingens ille & robustus Cretensium rex Idomeneus & Sthenus Capanei & Evadnæ filius fortißimus non solus in bello Trojano prælia pugnavit, quæ digna essent quæ à Musis & præclaris vatibus illustrarentur: Trojani etjam, & ferox ille bellicosusq; Hector & Deiphobus germanus ejus frater acer & robustus, non inter mortales primus hic à Merione in brachio vulneratus, ille ab Ajace ingenti saxo ad terram prostratus graves ictus & crudelis

delia vulnera pro pudicis *suis* conjugibus & *caris* pueris, *pro aris & focis, & patriâ deniq; defendendâ* excepit *& perpessus est*. *Nam* ante Agamemnonem *etjam, qui Græcorum dux ab Homero fortißimus describitur*, multi *viri* fortes *& magnanimi* vixerunt. Sed *illi* omnes *à nullo posterorum cogniti sunt, nemo auditis eorum rebus gestis illos occisos lacrumis decoravit, sed* illacrumabiles & *à posteris* incogniti longâ nocte, *perpetuò silentio, & sempiternâ sui nominis oblivione* urgentur *& premuntur, æternisq; ignorantiæ tenebris obruuntur, propter hanc unam & solam causam*, quia *eximio aliquo Musis & Apollini* sacro vate *qui suis monumentis res illorum gestas immortalitati consecraret*, carent *& destituuntur*. *Sic est* virtus, *quæ apud posteros* celata *& ignorata in obscuro latet, illa* paulum distat *& parvo discrimine & intervallo* ab inertia *& ignavia obscurorum hominum, qui vitam morti similem agunt, & quorum memoria una cum corpore* sepulta *est, distat & abest*. *At verò*, ô Lolli, ego *meis carminibus te & præclara tua facta immortalitati consecrabo, ego* non *patiar* te meis chartis, *meis carminibus & ingenij monumentis*, non ornatum *& laudatum apud posteros* sileri *& ignorari*: non *etjam ego* patiar tot tuos labores, *tot tuas res gestas & præclara facta*, obliviones lividas *& invida silentia, (quæ gloriam & memoriam apud posteros tibi invideant)* carpere, *paulatim imminuere, & aliquid inde demere, illaq; adterere, &* impuné *deniq; obscurare; Nempe quàm oblivionem, ego meis monumentis longè lateq; profligaturus, puniam, & à te cispellam. Etenim tu dignus es cujus memoria æternùm in mundo conservetur; Nam* animus tibi est rerum *præteritarum præsentium & futurarum, præstans &* providus; *animus tibi* est secundis, & dubijs *adversisq;* temporibus sese rectè gerens, *qui his non insolescat, illis non efferatur; animus tibi est munificus & liberalis, qui* avaritiæ ac fraudum vindex *& ultor, animi cupiditatem inexplebilem severé punit & coërcet; animus tibi* est à pecuniâ, quæ cuncta ad se ducit, *& omnia in mundo poßidere videtur*, abstinens, *illamq; non desiderans; animus* denique *tibi est*, qui non *more Romanorum consulum* unius anni consul *magistratum gerit*, sed *qui ubiq; & semper consul & imperator est, dum sibi affectibusq; suis potentißimè imperat;* quoties *ille tuus animus tanquam* judex bonus & fidelis honestum utili, *& justum iniquitati* prætulit *& proposuit*, & alto vultu, *erecto & excelso animo omnia quæ in mundo maxima videntur, sprevit, & hominum* nocen-

gentium & malorum dona ac munera ad alterius jus & bonam causam depravandam oblata despexit rejecit & repudiavit, & tanquam mundi & opum humanarum victor, sua arma quibus vitijs pugnat, suam abstinentiam, integritatem, animi magnitudinem, per affectuum & vitiorum catervas, per munera, utilitates, odia, iram, invidiam, ambitionem, avaritiam, virtuti & rationi obstantes, explicuit & exprompsit, & in aciem quasi collocavit, deq; omnibus illis gloriosum triumphum egit. Hoc nomine te felicem & fortunatum inter mortales deputo, ô Lolli. Non enim illum qui multa in mundo poßidet, multarumq; pecuniarum dominus est felicem fortunatum & beatum rectè & propriè appellaveris: nam beati nomen ille demum rectiùs occupat, qui, quæcunq; Dij largiuntur illis acquiescit, sive multa, sive pauca, sive divitias, sive paupertatem, & qui his Deorum muneribus, si largiores sint non insolescit, sed illis sapienter uti novit; & duram pauperiem non tanquam summum malum exsecrabilem habet, sed illam patienter perferre novit, cuiq; cum paupertate benè convenit, nihilq; in mundo timet, præter scelus & flagitium, quod tanquam omnium horribilium horribilißimum ipso letho & morte pejus reformidat. Nimirum talis verè erit magnanimus, nihilq; in vitâ mortalium pro charis amicis suis, pro patriâ, pro justitiâ & honestate tolerare & subire, imò verò mori & perire non timebit aut dubitabit.

ODA X.

AD LIGVRINVM.

Vt in tempore formæ suæ bono perfruatur.

O Ligurine qui adhuc in amatorem tuum, dum adamantem non redamas, crudelis & superbus es, qui Veneris muneribus, formâ, venustate, candore & pulchritudine potens es, aliosq; antecellis; cum lanugo pili, & barba prima tanquam pluma (quam animus tuus tanquam deformiditatem non sperat, neq; cupit) tuam superbiam, tuam oris & genarum lævitatem, propter quam superbis invadet & occupabit; cum etjam comæ & capilli oblongi (qui jam à te tanquam puero concubino puellarum more nutriuntur) per humeros tuos dispersi, diffusi & paßi involitant & ventilantur, jam deci-

derint, & *in virili ætate non nutriti amplius, detondentur*, & qui color *faciei vultusq; tui* nunc prior *decentior & præstantior* est, quàm *candidißimus* flos Puniceæ & *purpureæ* rosæ *rubicundus & cādidus, tanquam lac & purpura inter se commista, cum ille virili ætate* immutatus & *deperditus, te* Ligurinum *jam formosißimum* in hispidam & *hirsutam*, faciem *con*verterit, *tibiq; pilos in maxillis horridos asperos & setosos implantaverit: tunc* dices quoties te *jam provectiori ætate immutatum* & alterum *factum in* speculo contemplatus fueris: *eheu? illa* mens & *illa voluntas* quæ hodiè *viro mihi adest*, cùr illa non fuit *mihi* puero? *cur ego puer cum essem non ita animatus fui, ut nunc, cum juvenis vel vir sum?* vel cur his animis, *huic voluntati & menti meæ, quâ jam sum vir existens, pulchritudo puerilis*, & genæ incolumes & *imberbes sine lanugine* non redeunt & *restituuntur*?

ODA XI.

AD PHYLLIDEM.

Quam invitat ad epulas die natali.

EST *in ædibus meis* mihi, *ô* Phylli *amica*, cadus plenus *optimi* vini ex Albanis *montibus*, quod novem & *amplios* annos *ætate suâ* superat & *excedit*: est *etjam apud me* in hortis *meis* ad nectendas coronas *fragrantißimum* apium: est summa vis & *copia* hederæ, quâ *tu, ô Phylli, comas* crinesq; *tuos* religatos *coronatos & revinctos* habens fulgere soles, & *quæ tibi egregium decus & ornamentum addit: universa mea* domus argentò *variè dispoſita, propter festivitatem futuram* ridet & *splendet*, & *hilaritatem præ se fert: ara ex vivo cespite exstructa, & quavis herba*, & verbenis castis & *ad sacrificandum aptis* revincta & *coronata jam* avet & *desiderat* agni immolati, *aut mactatæ hostiæ* sanguine *imbui*, aspergi, & *humectari.* *Nimirum* cuncta *servorum & ancillarum mearum* manus & *multitudo in exsequendis mandatis*, & *omnibus ad festivitatem præparandis* festinat: puellæ *cum* pueris, *ancillæ cum servis* mistæ, huc & illuc cursitant, *futurumq; convivium apparant*: flammæ *etjam*, quæ *impetuoso ascensu* sordidum & *impurum* fumum *in gyrum circumvo-*

cumvolvunt, *&* rotant, *illæ* trepidant, *inq;* vertice *& summitate sui tremulo motu sursum feruntur*. Vt tamen nôris, *ô Phylli*, ad *quas solemnitates, ad* quænam gaudia *& festivitates celebrandas, à me* advoceris *& inviteris*: Idus *Apriles* tibi agendæ *& celebrandæ apud me* sunt, qui dies Aprilem mensem Veneris è maris spumâ natæ *sacrum medium* findit *& dividit, & qui dies suo* jure *& meritò* mihi solemnis *sacer, & celebrandus est, &* pænè proprio *meo* natali *die*, *qui quidem mihi gratissimus, gratior*, sanctior, *& religiosior: ex hâc causâ*, Quod ex hâc luce, *& ex hoc die equitum Romanorum nobilissimus Cilnius* Mæcenas *incomparabilis patronus* meus annos *vitæ ætatisq; suæ accrescentes &* affluentes ordine numerat *& inchoat, illorumq; numerandorum initium facit. Tu verò, ô Phylli, alterius amoribus valedicens læta ac lubens ad me venias.* *Nam* Telephum juvenem *nobilissimum & ditissimum*, quem tu *amas &* expetis, non tuæ sortis, *fortunæ aut condicionis juvenem illum jam amore irretivit &* occupavit; *alia quædam* puella dives *nobilis* ac lasciva *illum*que detinet *& possidet* gratâ compede, *& jucundo amoris vinculo*, vinctum *& detentum, & illam nunquam deseret vel relinquet. Quin igitur tu, ô Phylli, alium tuæ condicionis, tibiq; parem, non autem nobiliorem & superiorem appete, inq; posterum ama, Vtiq; cum omnia ardua & sublimia, cum multis periculis conjuncta sint. Hujus rei multa documenta habemus.* Phæthon *ille Solis & Climenes filius dum nimis magna & alta petens patris sui Solis currum vellet regere, fulmine* Iovis combustus, *& in* Eridanum *conjectus* deterret *homines, ne avarorum more nimia sperent, eorumq;* spes *& cupiditates nimium* avidas *& immodicas*: & Pegasus alatus *equus cujus ope Bellerophon maxima pericula superavit*: Bellerophontem *successu rerum elatum, inq; cælum volare contendentem*, equitem terrenum *ulterius ferre* gravatus, *excussit, & in campum Alejum projecit, suæq; temeritatis, quod terrenus cum esset in cælum subvolare vellet, pœnas dare coëgit*; *&* grave *aliquod* exemplum *tibi* præbet, *teq; admonet* ut semper te digna, *tibi apta & convenientia* sequens, *appetas, &* disparem *te majorem & præstantiorem* vites, *& fugias*, & existimes nefas *& peccatum te admittere*, si ultra quam licet *& supra tuam condicionem, plus quàm par est & fas appetas &* speres. *Quare age, ô Phylli, quando à Telepho deserta es me amantem* redama, *& illum quidem, qui te solam imposterum, & nullam præterea aliam est amatu-*

rus. Etenim *tu* jam amorum meorum finis, *amicarum mearum ultima es, in quâ acquiescam, quam omnium postremam amabo.* Posthac enim alterius fœminæ amore non *incendar neq;* calebo. *Obliviscere igitur Telephi, & meos versus, meosq; carminum* modos, quos amabili *tuâ* voce *recites,* reddas, *& cantes* condisce, *& sollicitudini ob amorem Telephi contractæ valedicas. Nam omnes tristes* atræ *& invisæ* curæ *& sollicitudines, quas ex Telephi amore concipis,* carminum *meorum* cantu minuentur *& exstinguentur.*

ODA XIII.

AD VIRGILIVM.

Quem veris tempore invitat ad epulas.

P*Ræsens anni tempus, ô Pub. Virgili Maro, nos ad gaudia, voluptates & commissationes non immeritò amænitate suâ invitat. Etenim* jam venti Thracij *Favonij vel Zephyri,* qui *jucundissimi* veris *temporis perpetui* comites *sunt, & hybernam maris tempestatem & inclementiam adventu suo* temperant *mitigant & moderantur, &* mare *navigationi aptum reddunt, navesq; & eorum* lintea *in mari* impellunt, *& quo volunt perducunt:* jam nec prata *amplius, nec campi aut agri frigore gelu & glacie ulteriùs* rigent *& horrent,* nec fluvij nivibus *& imbribus* hybernis *aucti,* turgidi, *& redundantes in decursu horribilem* strepitum cient *& edunt.* Iam *adsunt etjam aves veris prænunciæ; jam enim hirundo* infelix avis, (*quæ ex reginâ in avem conversa fuit*) Ityn *filium suum, quem crudeliter interemit lacrumabundâ &* flebili voce gemens, *& conquerens, in domibus & parietibus ædium* nidum ponit *& construit. Procne enim Pandionis Atheniensium regis uxor, filium suum* Ityn, *in ultionem mariti Terei Thracum regis, (qui incesto adulterio commisso Philomelam sororem Procnes stuprasset, eiq; linguam præsecuisset) trucidatum, dissectum, & coctum epulandum apposuit, & scelus scelere punivit. Quo cognito Tereus in upupam, Itys in phasianum, Philomela in lusciniam, Procne in hirundinem conversa,* Cecropiæ domus *& Atheniensium regni, suæq; familiæ regiæ* æternùm opprobrium, *dedecus, & infamia est,* quòd *Terei* regis *Thraciæ Barbari ejusq;* barbaras *& immanes* libidines, *majori scele-*

scelere, nempe incestum adulterium parricidio malè *&* *nefariè* ulta est. *Hoc etjam anni tempore greges & armenta non stabulis amplius sed aprico campo delectantur, jam* ovium pinguium *pastores &* custodes in tenero *molliq;* gramine *prostrati cum* fistulâ carmina dicunt; *& modulantur*, & *agresti cantilenâ* deum *pastorum Pana fistulæ inventorem* delectant, *& lætitia afficiunt*; cui in Arcadiâ pecus *greges & armenta*, & nigri *obscuri & umbrosi* colles *maximoperè* placent. *Nimirum ô* Virgili, *hæc amœna veris* tempora *nos ad voluptatem invitant, nobis lætitiam, & gaudia suadent, atq; adeo* sitim *convivia & compotationes nobis* adduxerunt. Sed, *ô Virgili, tu qui* nobilium juvenum *Neronum Claudij & Drusi privignorum Augusti* cliens *& amicus es, qui multa præclara tibi suppeditant, opus nō habes, ut à me, qui fortunæ tenuioris, gratis aliquid accipias. Quare* si vinum *nobilissimum Calenum*, Calibus *in Romanâ Coloniâ ex uvis in torculari* expressum, *mecum bibere, &* ductim epotare gestis *ac desideras, tunc* unguento Nardino *dato* vina *apud me promereberis* : *quod si tecum attuleris, ego vina tibi depromam. Nimirum* parvum vasculum *marmoreum unguenti nardini* ex Onyche *à me vini Caleni integrum* cadum eliciet qui nunc *in* horreis *apothecis, vel repositorijs editoribus*, Sulpitij *Galbæ* accubat *& reconditus est, satis* largus, *munificus, & liberalis* in spe novâ donandâ, *in lætitiâ conciliandâ; & mirè potens &* efficax *est*, in amaris curis, *& sollicitudinibus* eluendis, *& longè lateq; profligandis.* Ad quæ *& similia* gaudia, si *cum desiderio anhelas &* properas, *tunc* velociter *ad me* veni, *& quidem* cum tuâ merce *& Symbolâ, cum Onyche, vel vase unguentario Nardi. Nam* non ego meditor te immunem, *asymbolum, inanemq; & sine munere venientem, nihilq; afferentem* meis *vini* poculis tinguere *& inebriare*, ut dives *aliquis facere potest*, cui domus *omnis generis opibus* plena *& exstructa est.* Verùm depone moras, *& maturè ad me veni; depone etjam* lucri studium, *animiq; tui nimis ad rem attenti curas*; & dum *per vitam & ætatem* licet *tristium &* nigrorum *rogi & busti* ignium, *& instantis lethi ac mortis* memor brevem stultitiam *gravibus* consilijs *admisce, nec semper serijs ac severis attentus sis, sed age breve aliquod tempus jocis & ludicris attribue. Quippe interdum*, dulce *ac jucundum* est, in loco *ac opportuno*

tempore aliquid de gravitate & serijs remittere, hilarem esse, & quasi desipere.

ODA XIII.

IN LYCEM.

Cui insultat, quod lasciva anus à juvenibns contemnatur.

IAm tandem: *ô* Lyce, Dij *immortales* mea vota, *measq; preces aliquando* audiverunt. Audivernnt, *inquam, ô* Lyce, *optimi & justißimi* Divi *meas voces, measq; preces, quibus toties pœnam & vindictam promeritam tibi expetivi, & exoptavi. Tu enim jam, quantum video,* anus fis, *& evadis,* & tamen vis, *instar cujusdam puellæ juvenis,* formosa *ab juvenibus* videri, *& amari,* & per *summam* impudentiam *& turpitudinem juniorum puellarum more* ludere, bibere, *& lascivire* non erubescis, & *vetula* cantu tremulo, *& senili juvenes ad amorem tui excitas, & in illis* Cupidinem lento *ac tardo* gradu *ad te vetulam* accedentem *incendere, &* sollicitare *rursus* contendis, *cum vino ebria &* pota es. *Atqui ô delira vetula,* ille *ales Cupido* in Chiæ *juvenis puellæ eximiâ facie,* pulcrisq; genis *pervigil* excubat, in *ejusq;* virentis *& florentis* peritissimæque Psaltriæ *ac citharistriæ labijs genisq; nidum sibi construit; in te autem vetula jam sopitus ac sepultus est, & omnino exaruit, ut excitari amplius non poßit.* Etenim *ille Cupido tibi vetulæ inconveniens jam &* importunus, *annosas anus tanquam* aridas *& exsuccas* quercus *alis suis* prætervolat, *inq; florentis ætatis virginum oculis, genis & labris, tanquam juniorum arborum ramis nidum sibi construit;* teque *jam, ô Lyce, hoc importuno tempore vitat &* fugit; *quippe decrepitam & deformem vetulam,* quàm dentes luridi, *crocei coloris, illuvie squalidi, nigri & lividi* turpem reddunt; & frons *senilis &* rugosa & capitis *cani tanquā* nives *amatoribus ingratā & odiosam faciunt. Nec est quòd eximijs vestibus, & cerussâ aut fuco te amatoribus tuis cōmendare nitaris. Nā* vestes *tenui, subtili & Bombycino filo textæ, tenuißimæ &* purpureæ, *quales in* Co *insula conficiuntur,* & lapides *preciosi, & gemmæ* claræ *ac pellucidæ, & alia corporis ornamenta præterita juvenilis ætatis* tempora tibi refer-

referre & restituere non possunt; quæ *ante acta tempora* volucris dies, *tempusq; celerrimè decurrens* fastis & *annalibus alijsq; historijs publicis* & notis condita & *quasi* semel *reposita* inclusit, *unde nullo unquam tempore revocari possunt.* Heu *mihi, ô Lyce;* quo fugit & *quorsum abijt eximia illa* venustas *corporis tui?* quorsum *se subduxit ille purpureus & lacteus, ille* decens *genarum tuarum* color? quo *abijt membrorum tuorum* motus, *corporis tui agilitas in choreis & saltationibus?* *deniq;* quidnam *amplius* habes illius *formæ*, illius *Lyces*, quæ *olim meros* amores & *cupidines* spirabat; *atq; adeo* quæ *meipsum & optimam mei partem rationem* mihi surripuerat, *meq; à mente alienum fecerat?* *Nimirum tu amplius Lyce non es, sed omnino transmutata & alia facta:* *Nempe tuæ formæ ac pulchritudinis* facies *proximè ad* Cynaram *accedebat*, & post *illam* felix & *formosa*, & gratarum artium, *oculorum, superciliorum nutu, alijsq;*, *quibus animi juvenum miris modis allicerentur, satis* nota & *nobilis erat.* Sed *ipsi* Cynaræ *puellæ formosissimæ* breves annos, & *parvum vivendi tempus* fata dederunt & *indulserunt*, *quæ fata tibi diutissimam vitam concedent*, teq; Lycen *in vitâ tam* diu servatura *sunt*, ut temporibus *ac ætati alicujus* vetulæ cornicis par & *æquæva* sis, & *longissimâ vitâ confecta turpissima & fœdissima aspectu evadas.* *Nimirum* ut juvenes, *qui priùs tui amore* fervidi & *inflammati ardebant*, & *à te summâ procaciâ & superbiâ spernebantur*, videre posint *cum summâ voluptate*, & non sine multo risu *illam* facem *tuæ pulchritudinis*, *quâ splendidâ ac illustri olim incensi sint*, *jam exustam & consumptam esse*, inq; cineres & *nihilum* dilapsam & *redactam.*

ODA XIIII.

AD AVGVSTVM.

Dignos ei honores à Senatu Populoque Romano attribui non posse.

QVænam cura & *sollicitudo* patrum *conscriptorum senatorumq;*, & Quiritium *civiumq; Romanorum, atq; adeo Senatus populiq; Romani tanta esse potest*, ô Auguste *Cæsar*, *quæ* plenis

nis *ac condignis* honorum muneribus tuas virtutes, *& res fortiter ac præclarè gestas* per *statuarum* titulos *& inscriptiones*, & *per* fastos *& annales tuorum in patriam meritorum* memoriam continentes in *omne* ævum, *& futura mundi tempora* æternare *& immortalitati consecrare* possit? ô *Auguste Imperator*, qui *omnium* qua *terrarum* oras habitabiles *illud cæli lumen* Sol *universum mundum suis radijs* illustrat *regum &* principum *optimus &* maximus es: quem *Rhæti* Vindelici, *qui suis legibus viventes* legis Romanæ *immunes & expertes sunt, magno suo malo* nuper didicerunt, quid *tuo ductu & auspicio* Marte *ac bello* posses. Nam acer *ille & animosus* Drusus *filius tuus adoptivus*, tuo milite, *tuoq; exercitu* Genaunos *Galliæ Cisalpinæ populos*, genus *hominum* implacidum *ferox & indomitum*, & Brennos *Rhætiæ Vindelicæ populos cursu, pugnâ, & rapinâ celeres &* veloces, *illorumque* arces *ac turres ad arcendos hostes* Alpibus *montibus propter altitudinem* tremendis, *exstructas & impositas* dejecit, *diruit & prostravit; idq;* plus *ac sæpius unà vel* simplici vice, *sed semel atq; iterum.* Major Neronum *natu Claudius Tiberius Nero, cum frater Drusus difficiliùs pugnaret, à te ad bellum conficiendum in subsidium ipsi missus fuit: qui* mox *postquam sua signa & copias cum fratre conjunxisset*, grave prælium *cum hostibus* commisit, & immanes *ac truculentos* Rhœtos *Vindelicos* secundis auspicijs, *& fausto eventu victor* pepulit *& profligavit. Nimirum qui Tiberius* dignus *erat*, qui spectaretur, *quàm fortis & animosis dux esset*, quantisq; *cladibus, cædibus, ac* ruinis *Rhætorum* pectora *mortem non horrentia, sed* morti (quàm *sua sponte & nullâ necessitate coacti* liberrimè oppetebant) *quasi* devota *& destinata* in Martio *belli* certamine *vexaret*, fatigaret *& prosterneret. Certè qui* propemodum, qualis *impetuosus* Auster *esse solet, ubi* (cum *Virgiliæ &* Plejades *suo septem stellarum* choro exortæ nubes *tempestatibus* scindunt, *& pluvias profundunt) maris* undas *& fluctus* indomitos, *immanes ac furentes* exercet, *commovet, agitat & perturbat: Sic etjam ille animoso impetu hostes suos invadebat, &* impiger *& velox erat* in hostium turmis vexandis *& agitandis*, suoque equo *furibundo ac* frementе per medias *prælij flammas & ignes, mediumq; prælij fervorem & ardorem* mittendo. *Atq; adeo* Aufidus *ille Apuliæ fluvius, qui*

duobus

duobus fluminibus duo cornua tanquam tauri formam *præ se fert*, qui Dauni Apuli *quondam regis* regna perfluit, sic volvitur, *tanto impetu, sonitu ac fragore furioso fertur*, cum *auctis imbribus maximâ* sævitiâ delabitur, *vicinis*que agris cultis, *ac satis* horrendam diluviem *& aquarum inundationem* minitatur: Quemadmodum Claudius agmina *hostium* barbaroruw *hastis ac* telis armata vasto impetu *fervore ac tumultu* diruit *& prostravit, hostiumque* primos & extremos *suo gladio* humum *cadaveribus tanquam* victor metendo stravit, *operuit, & complevit*, *idq;* sine clade, *& ullâ suorum jacturâ: idq; tuo unius ductu & auspicio*, te *Augusto ipsi* copias *militum præbente*, te *Augusto* consilium *ipsi suppeditante* te *Augusto* tuos divos, *tuam felicitatem à Dijs, qui tibi favent, tuaq; opera fortunant, ipsi* sufficiente. *Quippe omnes Dij, & ipsa rerum humanarum domina fortuna in tuam felicitatem & beatitudinem quasi conjurare & conspirare videntur.* Nam lustro tertio, *imperij tui anno decimo quinto*, quo die *occiso M. Antonio & Cleopatrâ*, Alexandria *Ægypti urbs*, *victa à te &* supplex *suas* portas, *suamque* aulam *Antonio & Cleopatrâ jam* vacuam tibi patefecit: *Eo, inquam, anno ac die* fortuna prospera *omnia fausta & felicia tibi attribuit, omniumq; tuorum* bellorum secundos exitus, *& salutares eventus tibi* reddidit; *cujus auspicio hæc etjam victoria de Rhætis & Vindelicis tibi parta fuit*, & *quæ deniq; tibi immortalem* laudem *decus ac gloriam*, & *Dictaturæ &* imperij *perpetui, & patris patriæ* exoptatum decus peractis *imperijs, bellis finitis, & orbe subacto tibi vindicavit, peperit &* arrogavit, *Hinc nimirum imperij tui dignitas, majestas, & potentia ad omnes mundi partes famâ & rumore hominum penetravit.* Nam, ô *Auguste*, qui *tanquam DEVS tuo numine & auspicio* præsens Italiam & Romam dominam, *principem, & imperatricem omnium urbium totius mundi* tutaris, te *dominum agnoscit & veneratur* Cantaber *Hispaniæ populus* non ante dominabilis, *quàm à te vinceretur; te agnoscit* & demiratur Medus, & Indus, & Scythes profugus *& incertis sedibus vagans:* te *tuumq; imperium audit & observat* Nilus *Ægypti fluvius*, qui fontium *suorum* origines *hominibus incognitas*, celat *& occultat: te audit & observat binominis ille fluvius Germaniæ* & *Pannoniæ, Thraciæ, & Tauricæ* Ister *& Danubius:* te *audit & observat*, rapidus *ille Armeniæ fluvius* Tygris, te *audit & observat* Oceanus *ille ingentibus marinis* beluis plenus, qui Britannis *interfuso mari penitus*

 vat

à nobis remotis *& separatis fluctuum sonitu* obstrepit: tē *audit & observat*, duræ *ac indomitæ Hispanicæ regionis* Iberiæ populus: atq; *adeo* Sicambri *Germaniæ populi*, qui *atroces continuis bellis &* cædibus gaudent, armis *jam* compositis *& tanquam pacis tempore reconditis*, *te tuumq; imperium colunt &* venerantur.

ODA VLTIMA.

AVGVSTI LAVDES.

NVper cum *bella &* prælia *Augusti Cæsaris*, & urbes *ab ipso captas & de* victas Lyrico *carmine* eloqui *& decantare* vellem; *Musarum ille & Poëtarum præses* Phæbus *Apollo me* increpuit *& objurgavit*, ne *tanquam* parva *exiguæ naviculæ* vela per *vastum* Tyrrhenum æquor darem, *& humili lyrico carmine res grandas & bellicas, & materias heroicas, epicas, & sublimes tentarem & aggrederer. Cum igitur exiguus lyricus Poëta immensis tuis prælijs, & rebus fortiter gestis impar sim, satius mihi erit tuas laudes, & immortalia in* Remp. *Romanam merita lyrico carmine leviter delibare. Quis autem, ut vel maximè eximius Poëta, tuas laudes condignis carminum muneribus satis illustrare unquam poterit?* Etenim tuæ ætatis *felicißimum* imperium *ô* Cæsar *pacem & concordiam imperio* Romano *recuperavit, &* agris *hostilibus incursionibus antea vastatis, suis frugibus spoliatis* uberrimam frugum copiam retulit, & Iovi nostro *Capitolino, ejusq; templo* (*in quo signa militaria hostibus erepta reponuntur*) *illa* signa quæ *olim* Parthi *Antonio & Crasso devictis abstulerant, suisq; templorum* postibus superbi & *insolentes* affixerant, *inde rursus* ablata *& refixa, postquam Parthos devicisti*, restituit, *& Capitolio rursus intulit*; & Ianum Quirini *templum, quod pacis tempore tantum claudi consuevit, & semel tantum ante te Tito Manlio Coß. clausum fuit, toto jam terrarum orbe pacato*, bellis vacuum clausit, & licentiæ, *morumq; corruptelæ*, quæ *extra* ordinem rectum *transit, &* evagatur, frena injecit, *eamq; severißimè domuit & repreßit, & supplicio in improbos constituto scelera* & culpas *è medio sustulit &* emovit, & veteres artes, *majorumq; nostrorum virtutes prudentiam, fortitudinem, justitiam, & temperantiam*, per quas Romanum nomen, & Italiæ vires, & *Romanorum* fama, & imperij *dignitas & ma:*

& majestas ab Hesperio *Hispaniæ* Solis cubili *& occidente, usq; ad extremos Indos, & solis* ortum *per universum terrarum orbem* porrecta *& longè lateq; extensa & propagata* creverunt, *& amplificata sunt* revocavit, *Atq; adeo* quamdiu *Augustus* Cæsar res *humanas* custodiet *& administrabit*, nullus furor civilis *belli*, nullaq; *ambitionis* vis *aut rabies*, nulla *etjam* ira, quæ *impellit homines ad* enses procudendos *& fabricandos, quibus homo hominem furiosè interimat*, & miseras urbes *inter se* inimicat *& hostiles reddit, pacem*, otium, *& tranquillitatem, nobis* eximet *aut eripet*. *Te etjam imperante* non *hostes nostri imperij Thraces, Pannones, Taurici, Germani* qui profundum Danubij *flumen* bibunt, non Getæ *qui ad Pontum Euxinum habitant*, non Seres *Indiæ populi, non Parthi, Medi*, & Persæ *rebus novis studentes &* infidi, non *deniq; Scythæ, & Sarmatæ, qui* prope Tanain flumen orti *sunt, à te subacti imperium Augusteum, &* edicta *ac mandata* Iulia, *in quam gentem tu assumptus es*, rumpent, *frangent & infirmabunt* Nosque *Poëtæ Lyrici, ubi* Deos prius *sacro majorum ritu decenter ac* ritè precati *fuerimus, omni tempore* profestis *& festis, profanis* & sacris diebus cum prole & matronis, *cum liberis & conjugibus* nostris inter jocosi Bacchi munera *vina & læta convivia aliquo lyrico* carmine cum tybiâ *à* Lydis inventâ remisto, *& ad tibiam decantando* canemus duces, qui more patrum *nostrorum* virtute functi *pro patriæ salute cum gloriâ mortui sunt; canemus* Anchisen, & almæ Veneris *æternam* progeniem, *Æneam, & ex illo oriundos Ascanium, Iulum, Sylvios, Romulum, divum Iulium Cæsarem, Augustum, Tiberium, & Drusum, terrarum dominos, victores & triumphatores æternos & perpetuos*.

FINIS LIBRI QVARTI.

HORATIVS
E. LVBINI


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm